

sia stata a Moncelexe, che certo mi doleria per amor vostro nel core. Altro dirvi non mi occorre. A voi molto si ricomandamo, et pregamovi ne ricomandate a la magnifica vostra madre et a madona Izabetta, a Francesco et a Marina, et confortate il resto; et fareti intender tal nova a Cà Nani di sotto et di sopra; et se per sorte vedete mio compare, missier Polo Morexini, pregovi ricomandatime a lui. El magnifico missier Francesco Longo, cum la brigata tutta, doveva andar questa matina a Padoa, ma rispetto al tempo, non credo andaranno; *tamen* la caretta mia ancor non è tornata, et son hore 13.

Da San Bruson, a li 30 di Mazo 1529.

ZUAN BATISTA BADOER
vostro cugnado.

Al molto magnifico et clarissimo
missier Zorzi Venier cugnado
et quanto fratello honorandis-
simo, a San Trovaxo, sopra
mistro Antonio, barbier.

262 *Litterae Serenissimi Principis domini Johannis regis Hungariae ad Principes Imperii et ad Carolum Cesarem, declarantes iura ipsius et injurias sibi illatas per Ferdinandum regem Bohemiae, cum protestatione; anno 1529 mense Aprili.*

Epistola Serenissimi principis domini Joannis regis Hungariae ad principes Imperii.

Joannes dei gratia rex Hungariae, Dalmatiae, Croaciae etc. nec non marchio Moraviae, et Lusitaniae, et dux utriusque Slesiae etc., reverendissimis ac reverendis, illustrissimis et illustribus, spectabilibus et magnificis dominis electoribus, ac aliis principibus et statibus utriusque ordinis sacri romani imperii, in proximo conventu Ratisponensi constitutis, amicis nostris charissimis, salutem et prosperorum successuum incrementum. Reverendissimi ac reverendi, illustrissimi ac illustres spectabilesque et magnifici nostri amici charissimi, optime constare apud dominationes vestras credimus, quemadmodum post acceptam illam calamitosam ac memorabilem cladem turcicam, in qua Serenissimus dominus rex Ludovicus dominus et praedecessor noster felicis memoriae, cum multis prelati, baronibus et nobilitatis hungaricae magna parte, fratreque nostro

germano charissimo, pro fide ac religione christiana honesta morte occubuit, uno voto ac suffragio totius nationis hungaricae, tribus dumtaxat exceptis, quos egestas rei familiaris ac odium et privatae utilitatis spes a vera via, veroque patriae amore, in factionem Ferdinandi regis Bohemiae transversos egit, iuxta morem et antiquam consuetudinem ipsius regni Hungariae, in regem fuerimus electi atque coronati. Quo rite et legitime (ut solet) peracto, cum dies noctesque id ageremus, ut illam afflictam patriam possemus ab hoste defendere, et amissam, temporibus superioribus, recuperare, rebusque regni nostri ita consulere, ut et vos et reliquus christianus populus, sicuti annis ab hinc centum et quinquaginta, ita et deinceps nostri sanguinis protectione, in pace et tranquillitate viveretis, ecce adfertur ad nos Ferdinandum ipsum contra ius fasque regnum nostrum armata et hostili manu invasisse civitates quasdam nostrae ditionis suas fecisse, et per illos, quos praetulimus factionis suae ministros Poloni (*Hungariae*) in regem, se eligi procurasse. Nos ea res non medioeri admiratione adfecit. Videbamus enim miseram nationem nostram ab eo iri perditum a quo defendi et protegi debebat, et qui tunc facillime eius conatibus resistere poteramus, erant enim vires nostrae eius viribus superiores, visum tamen nobis fuit alienum esse ab institutis christianis reliquas eius gentes, quae pro fide publica tot annos bella gessit in sanguinem christianum armare. Conquesti sumus hac de re, per oratores nostros, apud sanctissimum dominum nostrum Clementem papam septimum et apud serenissimos dominos Franciscum regem Franciae christianissimum, Henricum regem Angliae defensorem fidei catholicae, et Sigismundum Poloniae regem patrem nostrum charissimum, qui, ut est reipublicae christianae, pacisque et concordiae amator, egit, ut scis nobis per legatos suos apud Ferdinandum, quo a lacessendo regna nostra desisteret, neque hosti potentissimo tempore difficilimo iis contentionibus inditionem christianam eam viam aperiret, quae aut ab ipso postea aut a potentioribus claudi nequiret, sed daret potius operam, ut coniunctis viribus communibus periculis una nobiscum occurreret. Ad haec Ferdinandum cum iure agere se respondisset fuit ab eodem oratore persuasus, ut ad diem et locum constitutum et nostri et ipsius Serenissimi domini regis Poloniae legati cum mandatis convenirent, hancque discordiam quibus posset conditionibus componerent, quae nobis nuntiata, etsi admonebant iura, quae Ferdinandus iactabat nullius esse momenti, ne tamen spernere iustitiam et conditio-

262.